



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Johan. Baptista Pittoni Sacerd. Venet. Tractatus Tres**

**Pittoni, Giovanni B.**

**Augustæ Vindel., 1710**

Constitutio Sixti Quinti, In Qua Frigitur Congregato Sacrorum Rituum Et  
Coeremoniarum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62924](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62924)

# CONSTITUTIO

SIXTI QUINTI,

IN QUA ERIGITUR

CONGREGATIO

SACRORUM RITUUM ET COE-  
REMONIARUM

**J**AM verò, cùm Sacri Ritus & Cœ-  
remonia, quibus Ecclesia à Spiri-  
tu Sancto edocta ex Apostolica tradi-  
tione, & disciplina vtitur in Sacra-  
mentorum administratione, Divinis  
Officiis, omnique Dei, & Sancto-  
rum veneratione, magnam Christia-  
ni Populi eruditionem, veræque Fi-  
dei protestationem contineant, re-  
rum Sacrarum majestatem commen-  
dent, Fidelium mentes ad rerum al-  
tissimarum meditationem sustollant,  
& Devotionis etiam igne inflam-  
ment, cupientes Filiorum Ecclesiæ  
pietatem, & Divinum cultum Sacris  
Ritibus, & Cœremoniis conservan-  
dis, instaurandisque augere.

S. 1. Quinque Cardinales dele-  
gimus,

O gimus, quibus hæc præcipuè cura in-  
cumbere debeat, ut veteres Ritus  
Sacri ubivis locorum, in omnibus  
Urbis, Orbisque Ecclesiis, etiam  
in Capella nostra Pontificia, in  
Missis, Divinis Officiis, Sacramen-  
torum administratione, cæterisque  
ad Divinum cultum pertinentibus,  
à quibusvis Personis diligenter ob-  
serventur, Cœremoniæ si exoleve-  
rint restituantur, si depravatæ fue-  
rint reformatur, Libros de Sacris  
Ritibus, & Cœremoniis, inprimis  
Pontificale, Rituale, Cœremonia-  
le, prout opus fuerit, reformat,  
& emendent, Officia Divina de  
Sanctis Patronis examinent, & No-  
bis prius consultis, concedant. Di-  
ligentem quoque curam adhibeant  
circa Sanctorum Canonizationem,  
Festorumque Dierum celebritatem,  
ut omnia ritè, & rectè, & ex Pa-  
trum traditione fiant, & ut Reges  
& Principes, Eorumque Oratores,  
aliæque Personæ, etiam Ecclesiasticis

ca, ad Urbem, Curiamque Roma-  
nam venientes, pro Sedis Apосто-  
licæ dignitate, ac benignitate ho-  
noricè more Majorum excipiantur  
cogitationem suscipiant, sedulòque  
provideant. Controversias de Præ-  
cedentia in Processionibus, aut alibi,  
cæterasque in hujusmodi Sacris Riti-  
bus, & Coeremoniis incidentes diffi-  
cultates cognoscant, summarie ter-  
minent, & componant.

Datum Romæ apud S. Petrum An-  
no Incarnationis Dominicæ 1587. 11 Kal.  
Febr Pontificatus nostri Anno tertio.

*Ex Bullario Cherubini tom 2o.  
Constit. 74o.*

NON